

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Ianuariis MDCCCCVIII

Num. I.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italianam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - **ROMA**



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

apud

"Kronika Rodzinna"

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Varsaviae Polonorum
Rakewskie Przedmiescie, 15.

Varsaviae Polonorum
Krakowskie Przedmiescie, 6.

London W.
28, Orchard Street.

Montreal
1699, Rue Notre-Dame.



CONSTANTINI PISONI

Pontificia officina Candelarum ad Sacra
in artium recensione Taurinensi an. MDCCXCVIII
inter Italicas prima iudicata
pluribusque praemis aureis, argenteis, scriptisque honoris testificationibus aucta

ROMAE in ITALIA

Corsa Vittorio Emanuele, 127-129 — Via Sediari, 1-2-3

Huiusmodi officinae, conditae inde ab an. MDCCIII, haec peculiaria propria sunt:

Candelae ex cera, iuxta praescriptiones liturgicas a S. Rituum Congregatione recognitae atque adprobatae.

Candelae rigidissimae, calidioribus caelis resistentes ab officina Pisoni *unice* comparatae.

Candelae ad sacra atque ad illuminandum, quarum explorata sunt tum integra exustio, tum omnis et colatura et fumi defectus.

Candelae exquisitis ornamentis decorae sive Cereorum Paschalium sive donorum ad usum.

Cera capsulis conclusa ad supelleciles et pavimenta dilueidanda.

Faculae ad noctem iure proprietatis circa fabricationem protectae, decem horas et ultra ardentes. Unicae hae sunt, quae continuo ac splendido fulgore comburantur, ita ut singuli vix eas experti, in posterum solummodo adhibuerint. — Mittuntur involueris 12-25-50 cereas faculas continentibus.

*Commercium epistolare omnibus linguis habetur.
Res ad orbem universum exportatur.*

Diversorium Magnum, cui a Minerva nomen
(Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum — Tercenta cubicula et magnae aulae — Calefactio — Balnea — Electrica lux ubique — Machinae duo ad ascendendum — Hiemale viridarium — Ludi trudiculares — Aulae mulieribus reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.

Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi

Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1
cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulcarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatum possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii
in an. MDCCCCVIII
videas in quarta operculi pagina.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Ianuarii MDCCCCVIII.

Num. I.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis.

Ex Argentina Republica.

De re litteraria apud Subalpinos. - De historia: Fridericus Sclopis Comes Salerano.

Paroemia sive Adagia: Par pari referre. - Eadem mensura.

Oscar II Suetiorum rex.

Sacrae Familiae fuga in Aegyptum.

Magorum sidus (Natalicia fabella popularis).

Novi anni ortus apud Iaponios.

Viro excellentissimo Iacobo Della Chiesa e patricia Genuenium nobilitate a Pio X Pont. Max. in Bononiensium Archiepiscopum numerime designato - Epigramma.

Acta Pontificia. - SS. D. N. Pii PP. X allocutio habita in Consistorio d. xvi mons. Decembbris MDCCCVII.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Diarium Vaticanum. - Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones.

Annales. - Mauritana res. - Persarum motus.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Per Orbem. — Libri recens dono accepti. — Aenigmata.

In *tertia operculi pagina*: TARCISIUS - Actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus scenariis conscripta.

Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis

ALTERUM vitae lustrum emensa, en *Vox Urbis*, quasi perennem iuventutem suam confirmans, nova eademque elegantiori veste ad vos, socii et lectores humanissimi, venit. Significet hoc tenaces nos propositi viros, confirmet res quas animo conceptas habemus in arido campo minime esse satas, palamque demonstret latissimum illum consensem, quem fausto auspicio undique terrarum collectum habuisse gloriamur.

Hisce itaque benignioribus ante omnia grates sunto; SS.^{mo} Viro in primis, qui Ecclesiarum orbem fortiter ac suaviter regit, et pro sua benignitate decennium vitae nostrae peragentibus suis litteris animum adauxit; deinde fidelissimorum nostrorum clientelae, qui consilio et opere adiuvarunt atque hodiernae innovationis, quam nos pro viribus perfecimus, auctores maxime fuerunt.

Iis morem gerentes novum testimonium dedimus quanti verba eorum faciamus, de-

dimus item pignus, meliorem nos in dies reddituros commentarium hunc, potius quam nostrum, ipsorum rite dicendum.

Nonne enim *Vox Urbis* ea fuit quam socii voluerunt? Ita enim gradatim facta est, quae non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem eaque omnia referret, quae inde, veluti ex radiations centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valerent. Immutata inde, ne a via aberret, et in XI anno manebit. Itaque disputationes in ea locum invenient, quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde liceat colloquia latine inire atque alere; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum quasi in palaestra eorum conatibus, laude quidem amplissima dignis, conferant; a Pontificiis de-

nique documentis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas. Neque omittemus peculiares fasciculos integros peculiaribus iisque solemnioribus eventibus tum Romam tum extra spectantibus dedicare; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus ab altero diffinis in commentario nostro inveniat, quod aliquo modo completere desideria sua valeat.



Eequod tamen erit annuae subnotatio-
nis pretium?

Id etiam idem semper manet; scilicet in Italia lib. 4,80; ubique extra Italianam lib. 6,25 (doll. 1,25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6,25) **recto tramite** mittendum ad Aristidem Leonori equitem, Commentarii *Vox Urbis* possesseorem et administratorem, **Romam, piazza del Gesù 48, quo domiciliu-
m nostrum in ampliorem se-
dem Borgnanis in aedibus trans-
portavimus.**

Neque subnotatores consueta **praemia** deficient.

Itaque **singulis** ad lubitum erit sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabula m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis auspicationem referens a Pio PP. IX an. MDCCXLVI peractam, quam instantibus pluribus iterum imprimendam curavimus.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis miserit subnotationem sibi gratis omnino habebit.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — magnificam tabulam illam dono accipiet m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, officina Urbani hospitii S. Michaelis

ad Ripam antiqua gloria insignis, imaginem retulit Pii X P. M. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito apud omnes celebratam.

**Qui triginta socios novos compara-
verit** ante Iulium mensem — bibliopolis pariter exceptis — dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.


**Qui sexaginta socios novos compa-
raverit** ut supra, eodem itinere gratis omnino gaudebit.



Quid plura? Atqui plura apparabimus, si favor sociorum ut antea nostro inceptui suppeditabit. Quod felix, bonum faustumque siet!

Kal. Ianuarii MDCCCXVIII.

Vox Urbis.



Ex Argentina Republica

Inferiorem Americam lustraturus Bahia ab urbe ad vos scripsi quae studium latini seminis gloriasque nominis nostri mihi dictarunt de pulcherrima regione, quam certatim sol atque aer reddere nituntur ditissimam. Quibus si ferme civium alacer consensus sit accessurus, procul dubio teneo et nordicas Americanas divitias et Germanorum Anglorumque commercia Brasiliam proxime posse aemulari.

Profecto montium iuga pariterque catenae, quae Brasiliae centrum occupant, adeo multis aquis undique regionem irrigant, ut novo semper numero incolarum terram praeparent amplam pariterque fecundam. Regiones igitur patent industribus opificium agminibus aptissimae, fluvialesque viae permultae, quae ad eas aditum sternant. Silvis atque fordinis dives terra futuris urbibus loca aperiet amoena pariter atque ditissima. Ceterum Brasilienses iam cives aquarum copia uti aggressi sunt optime, urbesque Ianuarii ac S. Pauli ad ferreas vehes, ad lucem, ad opicia album carbonem, prouti vulgo electrica vis nuncupatur, sua inter moenia late derivarunt.

Sed ex Brasilia, oceani litus ascendens, Argentinae reipublicae oras attigi, ac Bonearensem sum portum ingressus.

Praetereo loci visum, quem nemo unquam, ut puto, lingua reddere aut coloribus poterit. Prodigium Divinae manus admiratus, quae ad vos scribam de mirabili re nihil habeo magnificum satis. Ut enim By-santino aureo in portu, utque apud vos Neapolitano in sinu, ita ibi, atque longe splendidius, terrestris ac marinæ pulchritudinis spectaculum patet.

Argentinenses vero, omnes inter meridionalis Americae incolas felicissimi, industrem operam suam multiplicarunt et opes auxerunt quam maxime. Ex quo enim lieuit tandem foederatis reipublicae his populis firma perfui pace, non ad agrorum tantum cultum augendum et ad armenta boum equorumque excolenda novi semper labores et ausus admoti sunt, verum et opicia quoque condita passim rerum omnium, quae vitae cultui essent necessaria, ita ut immutata inde sensim fuerit in annos ab exteris coemptio, nimia quidem prius ac maxime sumptuosa, qua omnia fere ex Europae litoribus advahi oporteret.

Ut autem domestica augerentur opicia et domi potius quam alibi vestes, calcea, supellectilesque omnes fabrefierent, gravibus veetigalibus cautum est ne haec facile in Argentinam civitatem importarentur, suaque uti arte et industria cives cogerentur iuxta antiquissimum illud: *Vexatio dat intellectum.*

Et quidem hoc modo, hisce artibus publicae divitiae multiplicantur atque Argentinum opes et commercia latissime creverunt, et crescent, si domesticis necessitatibus tantum satisfieri minime contenti, alacri admodum manu atque constantissimo animo adlaboraverint ut, quae domi tantum hodie florescent vires, patriae fines praetergrediantur novasque sibi et civibus divitias adquirant.

Quod vero Argentinenses primi exemplum ceteris populis praebuere, hoc sequi optime Peruvientes et Chilenses et Brasilienses praesertim poterunt. Scio equidem ab anno MCMLIV supellectiles omnes et vestes et reliquae vitae usui necessariae res, quae ingenti commercio ad Brasiliae oras inferebantur, Brasilienses domi sibi et ipsos confidere niti; scio commerciorum eos gravissima pacta vitare atque efficere ut commoda vitae minoris obtineant; at quum saccari aut coaffae, quae Brasiliensium praecipua subsidia sunt, maioris venerint, tum pecunia reipublicae certo magis pretio aestimabitur, tum peregrinarum supellectilium necessitas minuetur et forte peribit.

Quod quum factum fuerit, Americanae quoque meridionales vires multiplicabuntur ita ut sui fructus laboris in externas quoque nundinas offerantur, quod iam fieri ex ipsis Oceani Pacifici portibus tradunt.

Illi igitur mox meum divertetur iter, Chilenseque deinde ac Peruvianam terras lustrabo, ex quibus

tandem meam in Galliam redux, quae maioris momenti de latinis ibi ascensibus animadvertero rescribam (1), eaque vos comiter, ut semper fecistis spero accepturos. — Valete.

VIATOR.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

DE HISTORIA

(Cfr. num. sup.)

Fridericus Sclopis Comes Salerano.

Hic vir, acerrimo ingenio a natura donatus atque ad grandia natus, ab ipsa pueritia studio pietatis et litterarum inclarescens, iam de se non spem sed fiduciam dabat. Namque, in sinu matris pie educatus, religionem castissime coluit vel a teneris unguiculis et usque ad vitae exitum vel in rebus difficillimis fidissime exercuit. Sed adolescens studis ita strenuam operam navavit, ut viginti paene annos natus, iuris laurea in archigymnasio Taurinensi, cunctis doctorum suffragiis ac summa laude, donari meruerit. Tunc munera publica, more patrum, aggressus, subito honoribus titulisque honestatus, gratia principis, ingenii celeritate ac virtute, omnibus illustris maxime enituit. Interea civili sapientia et rerum usu in dies praestantissimus habitus, quum primum per aetatem licuit, inter subalpinos oratores populares adductus est, et quum facili eloquentia atque sententiarum altitudine floraret, inter regni ministros eligitur principi exorando et causis rerum iudicatarum dirimendis.

Omne punctum ipsum tulisse dicendum esset, si hand ita liberius saeculi sui ingenio indulisset, et supremis rectae rationis placitis innixus, animum firmasset constantibus virorum religiosorum exemplis. Namque suis operibus clarus, religioni devotus, posteritati candidior nive, sanctissimis moribus, narratus et traditus superstes esset.

Operae pretium est hic obiter rem in mentem revocare, ut in promptu sit eius celeritatis ingenii documentum. Quum Carolus Albertus certus esset cuique obiectare periculo pro tuenda italica libertate, Fridericus noster, auctore principe, dum in aula multi sunt sermones hominum, et « pars pedibus plaudunt choraeas, et carmina dicunt » in uno stans pede, verba illa exprompsit, quibus rex mentem apertissime declaravit, ut universa Italia tandem sui iuris et mancipii revivisceret, quaeque mirifico omnium Italorum studio fuerunt excepta. Haec perscriptio, quam ex

(1) Scripsit imo tertio ex Chilensi republica, quae in proximum numerum, spatio hodie deficiente, differre coacti sumus.

tempore is veloci manu exaravit, in municipali Taurinensi bibliotheca diligentius asservatur.

Multa edidit Sclopis opera, mira admodum eruditio atque sententiarum magnitudine laudanda, quae non modo suis cognita fuerunt atque adprobata, sed externis quoque nationibus. Sed inter paeclaras ingenii sui opera inscribuntur primum *Storia della antica Legislazione del Piemonte*; deinde *Storia della Legislazione italiana*.

Vel ab anno M DCCC LXIV magnum bellum exarserat in americanis plagis inter provincias quae ad noctem spectant, quod aliae earum servos in libertatem vindicassent et aliae renuebant. Hinc inde bellatum est insigni animorum contentionem et mira sanguinis effusione. Tunc Angli, qui contra pactionem navim in opem miserant armis onustam, minime aliis obsistentibus, iam erant dimicaturi pro navi, cui erat nomen *Alabama*, ab hostibus intercepta.

Adfuit illa tempestate virtus Pii IX P. M. qui, admirantibus universi orbis terrarum populis, pacem aequis pactionibus proposuit, obtinuitque. Ne iterum ad arma convocarent cum Anglis ob navem *Alabama*, res Victorio Emm. II, Italorum regi, delata est, qui pro hac causa dirimenda Fridericum Sclopis delegit. Mirum sane, quam brevi, quam argute hanc sibi delatam provinciam exornavit. Eius enim iudicium novaque gens adprobavit; et factum est ut ipsa ex eadem olim stirpe prognata in immensum armis, negotiis, opulentia crevisset. Maxima inde gloria data fuit Friderico Sclopis, qui ingenii subtilitate atque prudentia pacem utriusque genti persuasit.

Multa alia opera is edidit (1), vel in primis regni muneribus positus, ac multis pressus negotiis, quae non modo suis cognita sed externis quoque circa nationibus, subalpini hominis nomen integritate, doctrina renovarunt.

Obiit Ang. Taurinorum an. M DCCC LXXVIII.

Eius honori ac memoriae statua aenea dicata est in publico urbis Taurinensis viridario, et schola pueris edocendis.

SUBALPINUS.



PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Par pari referre.

Terentius in *Eunuchus* paroemiam usurpat huic non admodum dissimilem: « Par pari referto ». Qua monemur ut tales simus in alias, quales in nos illos

(1) In his: *Della legislazione civile, discorsi — Delli Stati generali e di altre istituzioni politiche del Piemonte e Savoia, saggio storico — Delle Relazioni Politiche tra la dinastia di Savoia e il Governo Britannico (1840-1845) — Recherches historiques et critiques sur l'« Esprit des lois » de Montesquieu — Storia della Legislazione nelli stati del Re di Sardegna (1814-1847) — Considerazioni storiche intorno alle antiche assemblee rappresentative del Piemonte e della Savoia.*

experimur, ut, iuxta *Medeam* Euripideam, amicis si-
mus amici, mimicis infesti, in perfidos perfidi, in
parcos parei, in clamatos clamosi, in impudentes im-
probi; denique utecumque meritum merito simili re-
taliemus. Idem in prologo *Phormionis*: « Quod ab
ipso allatum est, sibi id esse relatum putet ». Non
inconcinne tum quoque usurpaverimus, si quando
verba verbis, blanditias blanditiis, promissa promissis
pensamus. Huc pertinet non illepidum illud, quod
refert Aristoteles lib. *Moralium* IX: « Dionysius ci-
tharaeum accersiverat, ut sibi caneret in muptiis;
atque cum eo his pactus est legibus, ut, quo doctius
meliusque caneret, hoc copiosorem ferret mercedem.
Annixus est omni artificio citharaeum, uti quam sci-
tissime caneret, sperans amplissimum praemium. At
postridie pactam mercedem reposcenti musico qui
conduxerat, ait iam persolvisse sese quod esset pol-
licitus, nempe par pari retulisse, proque voluptate
reposuisse voluptatem, spem lucri significans; quae
quidem hoc maior fuerat, quo magis ex arte cantas-
set ». Verum hoc loco negat philosophus par pari
relatum; propterea quod alter id quod volebat ac-
cepit; alter eo quod expetebat frustratus est. Huc
videtur respexisse Euripides, quem ait in *Andromache*
modestum in nos item nos modestos sensurum, com-
motum autem concitos reperturum. — Porro proverbium
natum videri potest a veterum Graecorum compo-
tationibus, apud quos aequalibus cyathis bibere
mos erat: « Ισον τοις enim solemnis inter propinandum;
quo quidem significabant aut pares esse cyathos, aut
tantundem additum aquae, quantum inesset vini.
Huius formae sunt illa: « Paria facere » pro « pen-
sare ex aequo », et « parum calculum ponere ». Plinius
ad Flaccum: « Accepi pulcherrimos turdos, cum
quibus parem calculum ponere, nec urbis copiis ex
Laurentino, nec maris iam turbidi tempestatibus pos-
sum ». M. Tullius lib. *de Oratore* ad Brutum: « Par
pari retulit ad schema rhetoricum, quo membra orationis
pari syllabarum numero sibi respondent. Nam,
— inquit, — quum aut par pari refertur, aut contrari-
um contrario opponitur, aut quae similiter cadunt
verba, verbis comparantur, quidquid ita concluditur,
plerumque fit ut numeroe cadat ».



Eadem mensura.

Videtur pariter ad officii et ad iniuriae relationem pertinere; verum ad beneficij pensationem magis referendum, quod ait Hesiodus: « Aut mensura eadem, aut melius quoque, si qua facultas ». Quod docet, officium remetiendum esse eadem mensura, aut etiam copiosiore, si suppetat facultas; prorsus que hac parte imitandos esse foecundos agros, qui

sementem depositam multo cum foenore reddere con-
sueverunt. Citatur a Luciano proverbii vice in *Ima-
ginibus*: Αὐτῷ μέτρῳ φρει, ριζὴ λαίση (Eadem mensura,
quod aiunt, aut melius). Cicero *Epist. ad Att. lib. XIII*:
« Ego autem me parabam ad id, quod ille mihi mi-
sisset, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λαίση, si modo potuisse ».

Oscar II Suetiorum rex

Oscar II, die VIII mens. Decembbris superioris anni vita functus, Oscarri I filius atque Iosephae de Leuchtemberg, Stockolma in urbe natus est die Ianuarii m. XXI anno M DCCC XXIX. Die VI m. Iunii a. M DCCC LVII Sophiam Vilhelmam uxorem duxit Germanica domo Nassau; die autem XVIII mens. Septembbris M DCC LXXII, Carolo XV fratri regno successit.

Per paucos reges historia recoluit et humanitate et doctrina hunc Oscar aemulatos, qui quadraginta fere per annos regnum tenuit. Rei militaris peritissimus, bellicae disciplinae vehementer studuit, deque ea scripsit libellos sapientiae plenos, qui in sermones Europae varios translati iure meritoque fuere. Nauta ferme audax, diu maria persulcavit Suetiorumque classi adaugendae plurimum adlaboravit, eique in Danico bello praefuit fortissime. Maris autem studium multis quoque carminibus significavit; poeta enim evasit elegans pariter atque disertus, librumque carminum descripsit, cui titulus *De Suetiorum classi memoriae*, quem, auctoris sine nomine, quum Stockolmae regali coram litterarum coetu exhibuisset, praemio donatus est. Poeseos alios deinde confecit libros, qui primam eius laudem non minuerunt, quin imo maximos inter Suetiae poetas illum non in iuria collocarunt. Viator praeterea indefessus nationes multas et gentes lustravit, quasque vidit res scriptis notavit atque edidit. Non igitur mirum si viatoribus Norvegicus maxime liberalis fuerit protector et Moecenas, idque praesertim Nordenskiold Nansen, septentrionalis verticis exploratori.

Neque historiam despexit; in inquisitionibus patiens, in describendo verax a Suetia atque Norvegia actis bellis mentis suae tributum solvit, atque Ca-



Semper autem loquendo potens, gravis, fortis, nullo artificio oratorio, nullaque dicendi inutili pompa utebatur: sed, ut erat sponte facundus, ita et magis cogitationibus et sensibus pollebat.

Haec inter omnia denique, optimus quoque paternas familias hic rex fuit, melioremque vitae sua partem filiis instituendis atque nepotibus dedit, quibuscum Tullgarn rus persaepe coluit, multaque eis religionis, prudentiae et sapientiae consilia et monita scriptis et voce tradidit, pariterque reliquit. Nihil igitur melius quam sermonum eius atque orationum collectanea, suetico atque norvegico pariter idiomate edita, sapientem virum in secundis rebus et adversis animo sereno semper atque erecto patriaeque nominis et gloriae omnino amantissimum posteris commendabunt.

A kal. Ian. M DCCC VIII comm. *Vox Urbis* sedes
est Romae, piazza del Gesù, 48.

roli XII vitam exaravit. Qua eruditione fuit, scriptor et elegans, praeter carmina eosque libros, quos hue usque retulimus, multa a Goethe poeta Suetice vertit, multaque alia composuit, dramata, itineraria, sententias, satisque doctos de iure, de re pecunaria, de re publica libellos edidit, quae omnia in unum collegit an. M DCCC LXXVII titulo inscripto *Samlade skrifter*.

E recentioribus linguis callebat sueticam, norvegicam, danicam, gallicam, anglicam, germanicam, ibericam, et italicam.

Musicae artis cultor eximijs, critices vi pe-
raeuta fruebatur; quamobrem de augenda musica arte
optima late merita est consequetus. Poetas, pictores,

sculptoresque liberalitate summa prosequutus est, artiumque recensionibus pecunia et auctoritate magnam contulit operam.

Quum tot dotibus esset di-
ves, facile coniici potest, eum fuisse non solum subditis ca-
rum et venerandum, sed praeter regni fines magni habitum. Quo
die itaque quintum regni eius lustrum est celebratum, praecipua Europae athenaea eum honoris causa doctorem crea-
runt; quo nimur in certamine Itali quoque Felsinei athenaei magistri in suum collegium adsciverunt.

Praeter omnia vero facundus Oscar orator exstitit, fervidaque et eleganti sermonis vi ingenium suum, suumque pro patria et liberalibus artibus studium patefecit.

Sacrae Familiae fuga in Aegyptum⁽¹⁾

— “Ante nos surgit populosa Memphis:
urbs mihi salve Ptolemaea! tutam
quae dabis sedem, Solymae tyranno
undique clausam „.

Fatus haec Joseph, nec iturus ultra,
Iesulum caute recipit, manuque
Virginem Matrem iuvat, ex asello
desilientem.

Ver erat: molli recubant in herba
Hospites trini; tegit alta lassos
palma, dum suaves philomela gaudet
edere cantus.

Fons ibi fluctu placido susurrat;
hinc bibunt; crustum quoque dactylosque
aridos gustant; alitur Parentis
lacte Puellus.

Haud abest longe nomadum manipulus,
cui domus plastrum; niger his capillus,
usta frons, acres oculi, cor ardens,
dextraque furax.

Zingari⁽²⁾ vulgo vocitantur, orbem,
qua patet late, peragrare visi,
et suam cuivis soliti futuram
vendere sortem.

His praeest viva^x anus, ad Mariam
quae gradum vertens, ter Ave sonorum
inclytæ Matri canit inclytoque,
garrula, Nato.

— “Visne — proponit — tibi fata cari
praecinam Pupi? — Venia negata,
palmulas audax teretes Puelli
femina prensat.

Nec iacit fulmen Puer in protervam;
namque, versurus scelus in salutem,
se sinit tangi, nive puriore,
ungue nigranti.

Ecce sed terror vetulam repente
occupat; nervos quatit horror imos;
os hiat, nec vox tremulis resultat
faucibus ulla.

Mens ubi tandem redit et loquela:
— “Heu mihi! — clamat mulier — quid egi?
ausa caelorum Dominum profano
laedere factu!

„At quid inscriptum manibus tenellis
conspicor? plantis quid utrisque Nati?...
Proh dolor! clavis pia membra cerno
fissa cruentis.

„Pusio dulcis! manet atra mors te,
ne luat poenas homo sempiternas;
neve me, Iudex, adigaris olim
plectere sagam.

„Sint tibi grates, puerile corpus
qui mea causa, Deus, induisti;
tu mihi posthac eris una, nunquam
languida, flamma „.

Sic adit Iesus, Satana fremente,
victor Aegyptum. Brevis hora currat:
iamque bos Apis ruet⁽¹⁾ atque latrans
numen, Anubis⁽²⁾.

Terra milenos dabit haec beata
martyres Christo; Fidei magistros
gignet; et sacro steriles arenas
cive replebit.

Franc. X. Reuss.

(1) Quum carminis scriptor hisce diebus in conspectum Pii PP. X
admissus esset, idque Ei humillime obtulisset, SSimus integrum legere
et acceptum habere dignatus est. De quibus clarissimo socio nostro
ex animo gratulamus.

(2) Utor hic voce ab Italibz usurpata; Galli hanc tribum Bohemians
vel Tsiganes vocant; Hispani Gitanos, Germani Zigeuner, et Angli Gypsies.

SS. D. N. PII PP. X LITTERAE

ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

DILECTO FILIO ARISTIDI LEONORI, EQUITI
MODERATORI COMMENTARII VOX URBIS

PIVS PP. X.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.



UUM decem ante annos conditum tuis curis Commentarium « Vox Urbis »
novimus, numerosque perlegimus primos, in quibus tam laeta inerat
afferendorum expectatio fructuum, non modo propositam commentario rem
iucunde intelleximus, fovendum, id est, latinum sermonem eiusdemque
usum, velut aptissimam doctis ex omni natione linguam, vulgo suadendum,
verum etiam propterea delectati vehementer sumus, quod probabilem nobilemque
caussam suspectam commentario videremus Apostolicae Sedi in exemplum coniuncto,
eoque plane Romano, ita quidem ut, per istam etiam aetatem eius late proferret
venustissimam vocem Urbis, quae sit latinitatis eademque Religionis domicilium.

Decem elapsis annis, quibus multa te, pro persecunda caussa, et peregisse
viriliter et tolerasse generose scimus, non aliter officiosis litteris, obsequii ergo
datis, placet rescribere, quam Nostræ delato testimonio laudis, animisque pro merito
adiecit. Laudes quidem constantiae et firmitati consilii debentur, unde honestam
commodamque litteris prosecutus es rem; additi vero animi eo pertinent, ut incepsum
sollerter insistas, clariusque quotidie de bonis litteris ac de religione merearis,
id certo ratus non tuae defutura progressuræ operae consentanea benevolentiae
Nostræ argumenta.

Auspicem caelestium gratiarum Nostræque voluntatis testem Apostolicam tibi
Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die xxvii Martii mcmvii, Pontificatus Nostri
anno quarto.

PIVS PP. X.

(1) Ecce Dominus.... ingredietur Aegyptum, et commovebuntur
simulaera Aegypti a facie eius. (Is. XIX, 1).

(2) Apis ab Aegyptiis sub bovis figura adorabatur; Anubi caput erat
caninum.



S. Familiae fuga in Aegyptum.

Baroecii tabulam Romae apud academiam S. Luceae asservatam
photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae.

Sacrae Familiae fuga in Aegyptum⁽¹⁾

— “Ante nos surgit populosa Memphis:
urbs mihi salve Ptolemaea! tutam
quae dabis sedem, Solymae tyranno
undique clausam ..”

Fatus haec Joseph, nec iturus ultra,
Iesulum caute recipit, manuque
Virginem Matrem iuvat, ex asello
desilientem.

Ver erat: molli recubant in herba
Hospites trini; tegit alta lassos
palma, dum suaves philomela gaudet
edere cantus.

Fons ibi fluctu placido susurrat;
hinc bibunt; crustum quoque dactylosque
aridos gustant; alitur Parentis
lacte Puellus.

Haud abest longe nomadum manipulus,
cui domus plaustrum; niger his capillus,
usta frons, acres oculi, cor ardens,
dextraque furax.

Zingari⁽²⁾ vulgo vocantur, orbem,
qua patet late, peragrare visi,
et suam cuivis soliti futuram
vendere sortem.

His praeest viva^x anus, ad Mariam
quae gradum vertens, ter Ave sonorum
inclytæ Matri canit inclytoque,
garrula, Nato.

— “Visne — proponit — tibi fata cari
praecinam Pupi? — Venia negata,
palmulas audax teretes Puelli
femina prensat.

Nec iacit fulmen Puer in protervam;
namque, versurus scelus in salutem,
se sinif tangi, nive puriore,
ungue nigranti.

Ecce sed terror vetulam repente
occupat; nervos quatit horror imos;
os hiat, nec vox tremulis resultat
faucibus ulla.

Mens ubi tandem redit et loquela:
— “Heu mihi! — clamat mulier — quid egri?
ausa caelorum Dominum profano
laedere tactu!

„At quid inscriptum manibus tenellis
conspicor? plantis quid utrisque Nati?...
Proh dolor! clavis pia membra cerno
fissa cruentis.

„Pusio dulcis! manet atra mors te,
ne luat poenas homo sempiternas;
neve me, Iudex, adigaris olim
plectere sagam.

„Sint tibi grates, puerile corpus
qui mea causa, Deus, induisti;
tu mihi posthac eris una, nunquam
languida, flamma ..”

Sic adit Iesus, Safana fremente,
victor Aegyptum. Brevis hora currat:
iamque bos Apis ruet⁽¹⁾ atque latrans
numen, Anubis⁽²⁾.

Terra millenos dabit haec beata
martyres Christo; Fidei magistros
gignet; et sacro steriles arenas
cive replebit.

Franc. X. Reuss.

(1) Quum carminis scriptor hisce diebus in conspectum Pii PP. X
admissus esset, idque EI humillime obtulisset, SSimus integrum legere
et acceptum habere dignatus est. De quibus clarissimo socio nostro
ex animo gratulamus.

(2) Ut oratione ab Italibz usurpata; Galli hanc tribum Bohemians
vel Tsiganes vocant; Hispani Gitanos, Germani Zigeuner, et Angli Gypsies.



S. Familiae fuga in Aegyptum.

Baroccii tabulam Romae apud academiam S. Luciae asservatam
photographice expresserunt Fr. ALINARI, Florentiae.

MAGORUM SIDUS

(Natalicia fabella popularis)

Magis ad Christi praesepse suo splendore adductis, quoque officio functa, erinita stella in aere locum nullum ulterius sibi esse haud iniuria autumavit: nonne enim reliquias omnes obscuraret; nonne populi regesque, ipsius luce decepti, alterum salutis auctorem exspectarent? In terris igitur domicilium sibi quaerendum facile intellexit. Ubinam tamen? Multas enim continentem terras, multas insulas late diuque peragrata, sedem nullam se dignam inveniebat. Maio vero mense, quum indesinenter etiamtum vagaretur, Helvetiae montes et valles honestaque oppida vidit: mox, iis affecta, sese in transvolantes stellas innumeratas dividens, super Alpes illas perpetuas ultro descendit et quievit. Mane, pastores rupricaprarumque insectatores flosculos novos invenerunt stellarum ad formam, e psilae toremate: caeli donum iure autumantes, inviolatos sacrosque volvire. Ita factum est ut Alpini hi flores, *gnaphalii leontopodii* deinde nomine distincti, numquam fuerint niveo candore suaque substantia corrupti; tangent secundas res compararint; utque denique Helvetica gens in tot tantisque orbis perturbationibus diligentissime sibi servare studeat has miraculis claras Magorum pastorumque sideris particulas.

F.

Novi anni ortus apud Iaponios

O-med-e-to! O-med-e-to! Hac voce, quae apud Iaponios sonat: *felix, atque faustus novus annus siet*, cives illi novum annum invicem optimum inter se ominantur. Auspicium laetum ubique populi urbanissimi in ore insonat, quod patres docuerunt, bonitatis atque humanitatis in signum, ridere semper. Hoc modo alii Iaponii arrident dum ita annum augurantur et consalutant vicissim.

Gaudii plena ubique orientis solis in imperio est prima anni dies, in qua obliscuntur malorum dolorumque, quae abactum per annum pertulere.

Nec ulla est orbis universi regio, novus ubi annus tanta laetitia excipiatur, ut in Iaponia fit. Ibi enim omnes, una voce, multiplici more, vestibus, solemnibusque conviviis, cibis, et ludis eam diem concelebrant.

A medio enim usque Decembri mense ligneis casis atque tentoriis occupantur vias nundinaeque fiunt. Per tabulas et cauponas media in via constitutas veneunt ea maxime quae pueris grata sunt, dulciaria, cupeiae, pilae, pupi, pictaque linteamina et chartulae, hesperidia, aliaque huiusmodi passim.

Arbores domibus altiores hic illie efferuntur, quae recens natum ver immaturum effingunt. Sunt autem arbores ex *bambou* ligno secti rami longissimi, quos in via cives ordine longo defigunt, atque racemis et vexillis et lanternis exonerant. Est enim lignea haec planta boni auspicio, ut hesperidii quoque fructus: illa enim rectam indolem, hi foecunditatem precentur.

Senes vero praecipuo cultu iis diebus cives prosequuntur; ava autem (*O-ba-san* dicunt) humi prope foculum sedens carbonibus accensis *theam* potum califacit diligenter, eumque poculis singulis paulatim bibit, fistulamque tabaci subtilem pariter atque exiguum sugit: eam circum filiae ac nurus moventur iussoque eius ac nutibus fideles certatim oboedient.



Tokiensis urbis summis e domibus, Shintoidis ubi religio colitur, palearius manipulus hoc tempore pendet, qui malignos inde deos ac daemones pellat. Paleae enim vineulis solis dea, cuius e semine Iaponiorum tradunt regem editum, suo e cubili per fraudem educta, praecincta fuit, et lux, quam secum abstulerat, mortalibus restituta est.

Elegans quidem de re fabula. Inter ipsam enim et fratrem asperrima quum ira flagraret, nitebatur puer omni ope sorori damnum inferre. Quamobrem quum illa gramimum agrum consevisset, furenti equo per eum discurrens malignus puer messem delevit. Dea igitur in specu secessit involvens umbra magna terramque polumque, ita ut immanis terror et confusio omnem invaserit orbem. Tunc deorum coetus ingens coactus consuluerunt invicem quo modo restituerent diem. Multis itaque perpensis, Deae ante specum una simul convenerunt ibique tantum ediderunt fragorem ac tantas extulere voces, ut Deam inducerent ad videndum quae tanta laetitia esset, causamque rei cognoscendam. Tunc illi ad ianuam accedenti speculum oblatum; in quod Dea, vanitate victa, quum oculos intendisset suam ut pulchritudinem contemplaretur, potestatem diis dedit ut ab asylo raperent. Paleae autem praecincta vineulis novas ad aedes deducta est, ubi felix vixit et laeta semper; nam domus eius omnis paleario aggere munita, malignis daemoniorum ab occursibus libera deinde fuit.

Hac igitur de causa paleae manipulus laetitiae auspicium est factum atque pacis, eumque saepe chartulis innumeris Iaponii augent, quibus deorum exercitum commemorent, qui domum suam tueantur.



Sed optimates ac nobiles sequamur, vehibus servorum pede actis, qui ad visitandas matronas discurrunt primo et altero anni die domi manentes: variis ipsis vestibus utuntur; milites Europaeo, senes Iapo-

nico more, iuniores autem vestibus Iaponicis induiti pileisque Europaeis passim.

Mulieres autem ac puellae altis calcis pedibus munitae deambulant atque tibialibus candidis, veste vero aco picta auratisque simul et vivis coloribus distincta. Corporis habitu parvae sunt, eunteque veniuntque felices, demirantes undique lusoriarum res atque cupedias, quas venditores circum ostendunt.

Sunt autem et diariorum mercatores, qui simul his diebus vexilla chartacea venumdant, alba haec rubroque sole distincta. Ea maxime pueri appetunt, quibus est gratum gentis suae insigne laetas inter ferias gestare. Neque in tanta populi frequentia periculum est ne ipsi deperdantur; omnes enim perulam secum habent semper, ubi et ortus dies, et parentum nomina, et domus via inscripta est. Puerulos autem suos aetate minores humeris secum portant in veste receptos; neque ideo infans nimis inquietus nec nimis inurbanus est; mitis contra atque comis, civibusque suis arridens benignus atque suavis, novi anni solem consultare felix et ipse videtur. Vobis etiam, o pueri: *O-med-e-to! O-med-e-to!*

VIRO EXCELLENTISSIMO
IACOBO DELLA CHIESA
E PATRICIA GENUENSIMUM NOBILITATE
A PIO X PONT. MAX.
IN BONONIENSIMUM ARCHIEPISCOPUM
NUPERRIME DESIGNATO

EPIGRAMMA

*E Vaticani sacro cur vertice collis
Flaminias oras fervidus ultro petis?
Non genuit Ligurum Te olim clarissima sedes,
Teque velut genitum maxima Roma colit?
Attamen adspicimus Te Petri linquere rupem,
Dulciter et turres visere Felsineas.
Pectore nam sentis patrios succrescere sensus,
Atque animum curas sollicitare novas.
Te manet urbs studiorum mater, et inclyta nutrix,
Petronii sedes fulgida prodigiis.
Nunc adeas ergo, Praesul clarissime, cives,
Qui ardent Te propius lumine conspicere.
Gusmani interea cineres veneratus et urnam,
Urbem Felsineam quae tegit et decorat,
Hinc animum firmes, et vires, nam auspice Divo
Primitus effulsit maximus ille Pius.*

*Callistus Amalberti
Canonici Intemelliensis.*

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. Pii PP. X allocutio habita in Consistorio d. XVI mens. Decembris MDCCCCVII.

Venerabiles Fratres,

Relicturus Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiverat, ac transiturus de hoc mundo ad Patrem, Christus dominus id nobis, nec semel nec obscure, praenuntiavit, fore nos insectationibus inimicorum perpetuo premendos, neque umquam in hisce terris carituros adversis. Seilicet hoc sponsae debebatur quod Sponso obtigerat; ut quo modo Huic dictum fuerat: «Dominare in medio inimicorum tuorum» (1), sic illa per medios hostes mediasque pugnas a mari dominaretur usque ad mare, donec, promissionis terram ingressa, perenni tranquillitate feliciter potiretur. — Quod utique divini Reparatoris oraculum, ut nullo non tempore, sic modo impleri ad unguem videmus. Alibi quidem acie apertaque dimicazione, astu alibi abstrusisque insidiis, attamen ubique Ecclesiam oppugnari conspicimus. Quidquid illius est iurium impetratur ac proculcatur: leges vel ab iis despiciuntur, quorum esset earundem tueri auctoritatem: impia interea impudentique ephemeridum colluvie fidei sanctitas morumque nitor maculatur, detimento animorum maximo, nec minori civilis consociationis damno ac perturbatione; quod ipsi, ut alias saepe, sic non ita pridem vel inter nostrates vestris fere oculis usurpastis.

Sed his aliud modo additur malum plane gravissimum: sollicitum quoddam studium late increbescens novarum rerum, disciplinae omnis ac potestatis impatiens; quod Ecclesie doctrinas ipsamque adeo revealatam a Deo veritatem impetrans, nititur religionem sanctissimam a fundamentis convellere. Eo nimur ducuntur (utinam pauciore numero!) qui eius, quam vulgo scientiam et criticen et progressionem et humanitatem dictant, audacissimas opiniones coeco fere impetu amplectuntur. Hi quidem, spreta tum Romani Pontificis tum Episcoporum auctoritate, methodicam invehunt dubitationem impiissimam circa ipsa fidei fundamenta; ae, praesertim si e clero sunt, catholicae theologiae studia aspernati, philosophiam, sociologiam, litteraturam e venenatis fontibus hauriant; tum vero conscientiam quandam laicam catholicae oppositam pleno ore concrepant; sibique ius simul officiumque adrogant catholicorum conscientias corrigendi ac reformati.

Lugendum plane foret si homines eiusmodi, Ecclesiae gremio relicto, ad apertos hostes convolarent: verum longe magis dolendum est quod eo devenerint caecitatis, ut se adhuc Ecclesiae filios reputent et iacent, eiurato quamvis, factis etsi forte non verbis, fidei

(1) Ps. CIX, 2.

sacramento, quod in Baptismate edixerunt. Sic porro, fallaci quadam animi tranquillitate ducti, christiana etiam sacra frequentant, sanctissimo Christi Corpore reficiuntur, quin et ad altare Dei, quod plane horrendum, sacrificaturi accedunt: inter haec tamen, quae praedicant, quae agitant, quae pertinaciam summam profitentur illos a fide excidisse demonstrant, dumque se navi duci autumant, foede naufragium fecisse.

Decessorum nostrorum exemplo, qui vigilantia maxima constantissimo pectore sanam doctrinam tutati sunt, solliciti ne quid ei labis aspergeretur, Nos quoque, apostolici praeecepti memores « Bonum depositum custodi » (1) decretum « Lamentabili » nuper edidimus, mox vero Litteras Encyclicas « *Pa-scendi dominici gregis* »; atque Episcopos gravissime commonefecimus ut, praeter cetera a Nobis prescripta, sacra praesertim seminaria diligentissime custodian, caventes ne quid capiat detrimenti institutio adolescentium, qui in spem sacri cleri educantur: quod, gratulantes dicimus, a plerisque omnibus et volenti animo exceptum est, et strenue perficitur.

Paterno tamen huic studio *ad correctionem animarum errantium* quo pacto ab ipsis errantibus responsum sit non ignoratis, Venerabiles Fratres. Alii quidem, *in hypocrisi loquentes mendacium*, ad se quae dicebamus non pertinere professi sunt, callidis argumentis animadversioni se subducere conantes. Alii vero insolenti superbia, bonorum omnium luctu, apertissime restiterunt. Quare, quae suggerebat caritas incassum adhibitis, canonicas demum irrogare poenas, moerore animi maximo, coacti fuimus. Deum tamen, luminum ac misericordiarum Patrem, rogare impensissime non desistimus ut velit errantes in viam revocare iustitiae. Idipsum et fieri a vobis, Venerabiles Fratres, vehementer optamus, illud minime dubitantes omnem operam Nobiscum vos impensuros ad hanc luem errorum quam latissime prohibendam.

Nunc autem ut hodierni conventus vestri rationem attingamus, hoc primum monere vos volumus, postquam iteratis postulationibus dilecti Filii Nostri Iosephi Sebastiani Neto de resignando olyssiponensi patriarchatu diu amantissimeque restitimus, resignationem ipsam demum Nos excepsisse. Patriarcham novum, qui in eius locum succedat, mox in decreto et schedulis consistorialibus designabimus.

Post haec, S. R. E. Cardinales creare ac renunciare egregios viros quatuor decrevimus, quos sua quemque virtus et variorum administratio munerum dignos probavere, qui in amplissimum Collegium vestrum cooptarentur. Hi autem sunt:

PETRUS GASPARRI, *Archiepiscopus tit. Caesariensis, Aduitor sacri Consilii Nostri negotiis extraordinariis praepositi.*

(1) Tim., 18.

LUDOVICUS HENRICUS LUÇON, *Archiepiscopus Rhemensis.*

PAULINUS PETRUS ANDRIEU, *Episcopus Massiliensis. CAIETANUS DE LAI, Sacrae Congregationis Concilii Secretarius.*

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum:

PETRUM GASPARRI,

LUDOVICUM HENRICUM LUÇON,

PAULINUM PETRUM ANDRIEU.

Ex Ordine Diaconorum:

CAIETANUM DE LAI.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ☩ et Filii ☩ et Spiritus ☩ Sancti. Amen.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii Tridentinis decretis interpretandis.

— Canonicus Poenitentiarius tenetur ad altaris servitum quoties confessiones actu non audit, nec probabiliter praevideat poenitentes accessuros esse ad poenitentiae tribunal, onerata eius conscientia. (Ex decr. d. xxii mens. Decembr. M DCCC VI).

— Nomine infirmorum qui a mense decumbunt, et idcirco iuxta Decretum diei 7 Decembris 1906 S. Eucharistiam non ieuni sumere possunt, non intelliguntur solummodo infirmi qui in lecto decumbunt, sed ii etiam qui quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieunium servare non valentes, nihilominus in lecto decubere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt. (Ex decr. d. xxv mens. Martii M DCCC VII).

— Quicumque in posterum Missas celebrandas committere velit sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus extra dioecesim commorantibus, hoc facere debet per eorum Ordinarium, aut ipso saltem auditio atque annuente. Praeterea unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum catalogum conficiet, describetque Missarum numerum quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis Missis procedat. Denique si qui vel Episcopi vel sacerdotes velint in posterum Missas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut presbyteros ecclesiarum, quae in Oriente sitae sunt, mittere, semper et in singulis casibus id prae-stare debebunt per S. Congregationem Propaganda Fidei. Haec sub gravi conscientiae vinculo ab omnibus servanda erunt. (Ex decr. d. xxii mens. Maii M DCCC VII).

— • —

DIARIUM VATICANUM

(Die xxi mens. Novembris - d. xx mens. Decembris. M DCCC VII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, urbanos Antistites aliosque viros qui sui quisque muneras gratia Pontificis de more adierunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Thomas Antici-Mattei, Princeps Urbanus; Galeazzus Thun de Hoestein, Supremi Melitensis Ordinis Hierosolymitani magister maximus; Antonius Vico, archiepiscopus Philippen., Apostolicus Nuntius ad Hispanos; Bruno Chaves, Legatus extraordinarius atque administrator cum omni potestate Brasiliæ apud Apostolicam Sedem; Aloisius Barbin, Princeps Urbanus; D. Ferreira da Costa, Brasiliæ administrator apud Russos, iamque apud Apostolicam Sedem; Aloisius Barbi, marchio; Marius Chigi, Princeps Urbanus; Raphael Errázuriz Urmeneta, Legatus extraordinarius atque administrator cum omni potestate Chilensis civitatis apud Apostolicam Sedem; Philippus Crispolti marchio; Emmanuel Sanchez, Praepositus generalis Congregationis Scholarum Piarum; Maria Theresia Ledocowska, Comes, praeses sodalitatis a S. Petro Claver pro sacris missionibus in Africam.

Pontificiae electiones.

In Consistorio habito d. xvi et xix mens. Decembris. in Sacrum Senatum cooptantur Petrus Gasparri, archiepiscopus Caesarien.; Ludovicus E. Luçon, archiepiscopus Rhemen.; Paulinus Petrus Andrieu, episcopus Massiliensis; Caietanus De Lai, a Secretis S. C. Concilii Tridentinis decretis interpretandis; pluribusque dioecesibus, episcopo suo expertibus, providetur.

— Dionysius O' Connell, rector catholici athenaei Washingtoniensis, episcopus Sebastien, et Thomas Kennedy, rector Urbani collegii ex America septentrionali episcopus Adriopolitanus dicuntur.

— Petro Gasparri, a secretis S. C. Negotiorum ecclesiasticorum extra ordinem, s. purpura donato, sufficitur Raphael Scapinelli di Leguigno, ex intimis cubiculariis « participantibus » Pont. Max.

— R. v. Franciscus Marchetti-Selvaggiani auditor apostolicae Bavaricae legationis creatur.

ANNALES

Mauritana res.

Mauritana res prima tenet adhuc. Dum enim Abd-El-Azis et Muley-Afid, fratres et hostes, inter se pugnant, ille autem victorias reportat, unde facile coniicitur, hunc non eos omnes sectari, quos superiore aestate iactabat, aut saltem secordia sua amisisse, tribus ex Beni Suassen gente cumque iis aliae, quas fanaticus furor induxit, Gallos in suis finibus Algerini aggredi ausae sunt, Nemours et Lalla Mar-nia oppida expugnare ac deinde Oujdja urbe, iam a Gallis occupata et sui iuris facta, potiri. Inde Galli suas copias congregare, hie velitationes agere, illie Mauritania ferro et vi obsistere acrius in dies, donec tandem hostes ad pacem impetrandam coegerunt.

Quam quum renovaverint, nova proelia committere ad Casablanca oportebit, quo ex ipsa Gallia milites alios pro necessitate mittentur ad avertendas apprehensiones.



Persarum motus.

Persarum imperium Mauritani imperii locum in populorum non laudabilibus gestis usurpare superioribus diebus visum est. Gravis enim dissensio inter factionem novis rebus infensam et eam quae ipsis favet in eo erat ut ad evertendas res omnino adduceret, eo magis quod rex in carcere administratorum praesidem abripiens atque latam constitutionem auferre minitans, se totum in manus novo regimini adversantium deditur apparuit. Faustis vero auspiciis res compositae sunt, novo administratorum collegio suffecto publico coetu grato.



Ita nubes quae procellam, atram quidem, indigabant dispersae sunt, novusque annus satis laetus ex oriente venit, quem felicem, faustum, tranquillum omnibus populis ex animo ominamur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Austria delegationes Vindobonae convenerunt ut communia imperii negotia ad trutinam vocarent: summa acceptorum et expensarum recognita, deque Macedonia « liber ruber » vulgatus.

In Belgica de Congo regionis cessione est vehementer discepitatum.

In Gallia de militiae reformationibus acriter legati disputarunt deque ecclesiarum bonis rei publicae devolvendis, eoque magis quod promissa inde foenora defecerint.

In Graecia de aerario inquisitum, idque satis florens recognitum.

In Helvetia reipublicae praeses ad novum annum Brenner renunciatus; Zemp autem alter a praeside.

In Hispania de augenda ac renovanda classi uno animo lata lex.

In Italia internis rebus pluribus provisum.

In Russia a Stolypin, administratorum collegii praeside, sollemniter declaratum se suosque collegas puramente ad patriae bonum cum publici coetus legatis adlaboraturos. Aerarii deinde status palam factus, inde deductum fore ut vulnera, a bello cum Iaponiis factiosisque internis motibus accepta, sensim reficiantur.

PER ORBEM

Die xxi mens. Novembbris M DCCCCVII Mediolani diem supremum obit Caietanus Braga, musicae artis peritissimus.

— d. xxii curruum series vapore actorum per ferriviam a Tolosa ad Lutetiam Parisiorum urbem audaci ausu a latronibus petitur.

— d. xxiv Genuae nova Italorum pyroscapha, cui nomen a Victorio rege, sollemni ritu in mare immittitur.

— d. xxv Neo-Eboraci incendium in Italorum vico conflatur; incolae tredecim miseram mortem inter flamas obeunt.

— d. xxvi Mediolani moritur Robertus Fontana pictor, annos n. LVI.

— d. xxix Londini senectute confectus obit Marius Daggi sculptor paeclarus. Ortum duxerat Carariae an. M DCCC XXI.

Die iv mens. Decembbris Romae conventus alter contra servitatem inauguratorum.

— d. vii Bulgarorum manus Istok, graecum opidum, invadit, ferroque et igni vastat.

— d. viii Stokolmae vitam naturae placide reddit Oscarus II Scandiae primus, post Norvegiae vero secessionem, Suetiorum rex. Ei succedit filius natu maximus Gustavus Adolphus, ordine V, qui insigne sibi facit: «Cum populo pro patria».

— d. ix Zanzibar imperii Caesar Neapolim perenit.

— d. x Christianiae, in Norvegorum urbe capite, Nobelii annua praemia pro pace conferuntur Theodoro Moneta Italo atque Aloisio Renault Gallo.

— d. xi Sophiae Balkanicarum seditionum concitatores Boris Sarakoff atque Garivanoff manubalistae ietibus per dolum a Panitza quodam, factios homine Sandananskii sectae addicto, interimuntur.

— d. xii Athenis Georgius princeps, olim Cretae insulae praepositus, Mariam e Bonaparte domo uxorem ducit.

— d. xiii Olyssiponem inter ovantem et gratulanten populum appellit copiarum Lusitanarum agmen a bello contra Cuamatios feliciter actum redux.

— d. xiv Leopoli iuvenes Poloni hinc, indeque Rutheni studiis vacantes inter se graviter proeliantur.

— d. xv Dresdae, Carola, Alberti Saxonum regis vidua, fato concedit.

— d. xvii Kelvin, physices magister princeps, Glascoviensis athenaei doctor inde ab an. M DCCC XLVI, Londini vita fungitur. Natus erat Belfast d. xxvi mens. Iunii M DCCC XXIV.

— d. xx Panormi clandestina fabrica ad pyrogranam conficiendam, cui dynamites nomen, improviso incenditur. Fit fragor immensus, incendium et

aedificiorum circum lata ruina, unde vitae hominum ad quinquaginta horribili fato extinguntur; centum et ultra vulnerantur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Voce Urbis eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

J. L. DE LA PAQUERIE. *Apologie élémentaire: Dieu et la religion.* — Lutetiae Parisiorum edid. Bloud et Soc., 1908. (Ven. lib. 4,50).

P. FILIPPO PANZINI O. F. M. *Prosodia, versificatione e raccolta di poesie latine* edita per cura del P. Tito Montesano O. F. M. — Hierosolymae, typ. PP. Franciscalium, 1907. (Ven. lib. 2).

AENIGMATA

I.

Partibus ex iunctis, ambas quas musica praebet, Piscis, flumineas, o lector, qui incolit undas Et nullo spinae qui laedit acumine, constat.

II.

Altera pars numerus. Protinus discede, viator, Hic patet atra prior; nam quidquid constat utraque Est nocuum (tellus, lympha, aëris) pestiferumque.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS,
sive DE PROVECTA LATINITATE.

Aenigmata an. X, n. X proposita his respondent:

1) Cicer-o; 2) P-rex.

Ea rite soluta miserunt:

H. Tarallo; V. Starace, *Neapolis*. — F. Guerra, *Aletio*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Rich. Lefebvre, *Parisiis*. — F. Arneri, *Mediolano*. — Petrus Torgestinus — I. Ortiz, *Morelia*. — Fr. Bonaventura, *Aetno*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Aug. Robergo, *Chicotino in Canada*.

Sortitus est praemium:

RICHARDUS LEFEBRE,

ad quem missum est opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE
(Edid. BRANDT Lipsiae ex off. Teubneriana).

Typrorum novorum ad nos missio itemque nostri domicilli mutatione, quae, prouti diximus, Romae nunc est in aedibus Borgnanis, Piazza del Gesù, 48, aliquot dierum moram huius fasciculi editioni attulerunt. Socios et lectores, qua sunt animi humanitate, veniam nobis, quam petimus, ultro daturos confidimus.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

TARCISIUS — Actio dramatica I. B. FRANCESIA. (2)

(Versibus senariis conscripta).

IV CIVIS.

Foret si falsum Caesaris iudicium?

I CIVIS.

Quid dicam, nescio.

IV CIVIS.

Iamdudum dubito.

V CIVIS (1).

Multi furciferi sunt in Urbe liberi, Amici Caesari, latrones pessimi, Qui in libertate semper et tutissimi, Et visu et vestibus incedunt consules!

VI CIVIS.

Hos plecti vellem, detrudi in carcerem; Sinet sic innoxii nocere denique!

VII CIVIS.

Manu sunt lupi cuneti voracissima.

VIII CIVIS (2).

Mali quid admittunt Christi discipuli?

VII CIVIS.

Mali? Nihil patrant, mea sententia.

VI CIVIS.

Infirmis adsunt auxilio languidis....

V CIVIS.

Colunt Deum solum, sequuntur placita Quae sancta dicunt omnes praeter ordinem.

VII CIVIS.

Tibi, si quid noceas, ipsi dant veniam, Suos nec servos verberant: fratres habent.

I CIVIS.

Quid ais?

VI CIVIS.

Verum!

II CIVIS.

Quid est optatius, Multis cum saepe premimur molestiis?

V CIVIS.

Et hos velimus auferri sicut perfidos?

(1) *Qui mox prodit in scenam, quadam iactantia haec profert.*

(2) *Qui tacitus hucusque haec audiverat.*

I CIVIS.

Adhuc si Romae nunc Romani viverent, Haec rerum numquam suffident ludibria?

II CIVIS.

Iovem celebramus novies adulterum....

IV CIVIS.

Mercurium clarum magnis latrociniis....

VI CIVIS.

Iuno quid nostra fecit? Quis hac turpior?

VIII CIVIS.

Sequi magistros nobiles virtutibus Lubet, nec vivere penes arbitrium!

I CIVIS.

Erant sententiae veteris temporis.

II CIVIS.

Iuvat nunc totis indulgere vitiis....

III CIVIS.

Placet sic regit nostram qui rempublicam....

IV CIVIS.

O Romae decus, o mores, o tempora!

V CIVIS.

Ad rostra dices melius quam Cicero.

VI CIVIS.

Tace, sis; haec verba non licet iam loqui.

VII CIVIS.

Nos ambiunt centum, mille nunc milites, Captant qui verba tribuant ut verbera.

VIII CIVIS (1).

Amicus propter cogitabis latera Amico loqui, complecti vel hospitem, Adest at turpis explorator perfidus.

II CIVIS.

Quousque tandem nostra patientia Abutitur foedus qui nobis imperat?

VII CIVIS.

Tacendi tempus nunc, sperandi in posterum? (2).

(Ad proximum numerum).

(1) *Magna vocis significatione, sed demisse.*

(2) *Introeunt quasi timore perculti.*

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCVIII

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80

ubique extra Italiam Libell. 6,25

(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quiske

sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam
m. $0,25 \times 0,45$ Pontificiam dominationis
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCXLVI peractam, *ad libitum*
sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos

— premiumque eorum subnotationis
miserit, subnotatione sibi gra-
tuita omnino fruetur.

Qui socios novos comparaverit tres

— bibliopolis exceptis — ma-
gnificam tabulam dono accipiet
m. $0,63 \times 0,85$ in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito
apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit

ante Iulium mensem — bi-
bliopolis pariter exceptis —
dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit

uti supra, eodem itinere
gratis omnino gaudebit.